REVERENDO P. F. BARTHOLOMAEO

Kleyndinſt Annæbergenſi, cùm in S. Theologia Doctoris Gradum ſuſciperet, Faciebat Cornelius Herlenus à Roſenthal Rector Generalis Studij Dilingenſis.

85

Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia. 2. Timoth. 3.

Multipharie multisq; modis olim Deus loquens patribus in prophetis; nouiſsime diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio. Heb. 1

Non uoluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei homines, 2. Petri 1.

Paulus ſecundū datam ſibi ſapientiā ſcripſit uobis, ſicut et in oībus epſis, loquens in eis de his: in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, 2. Petri 3.

Qui benè præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in uerbo & doctrina, 1. Timoth. 5.

Omnis ſcriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini patrifamiliâs, qui profert de theſauro ſuo noua & uetera, Math. 13.

VIRtuti, cuius comes eſt ſapientia uera,
Debetur cuncto tempore ſummus honor.
Namq; uiam uirtus ad cœlum præparat altum,
Perpetuum nomen notio dia parat.
En tibi qui Sophiam feruente labore paraſti
BARTHOLOMAEE *gradus primus honoris adeſt.*
Æternìq; DEI, qui trinus cuncta creauit
Fulgida Maieſtas annuit ecce tibi.
Angelicæ mentes, Paulus, ſanctuſq; Propheta.
Quiq; ferunt cunctis nuncia læta, fauent
Doctorumq; tuos ſimul ornaturus honores
Cernitur hic præſens amplus adeſſe chorus.
Quàmq; in ſublimi ſolio conſidere cernis,
Diuinæ Sophiæ nobile nomen habet.

Quæ ſimul aſſiſtunt, iſta eſt ſapientia patrum,
Nomen huic clarum præbuit ipſa Schola.
Illa tibi prono defert ſacra Biblia, nec non
Imponit capiti florida ſerta tuo.
Mente proin læta, cœtus quæ candidus offert
Cœlicolûm, laudis ſuſcipe dona ſacra.
Muneribuſq; utare datis, ut ſumere multi
Ex hac laude tua gaudia uera queant.
Nec tantùm gaude titulis: Eccleſia Chriſti
Ex celebri fructus carpat honore tuo.
Ocia ne placeant, uarios ſed adito labores,
Reddere uti Domino dupla talenta queas.
Ac animum ſumas, ut ſis acerrimus hoſtis
Hiſce quibus Chriſti diſplicet alma fides.

Atq; gregem Domini pabulo compaſce ſalubri,
Hæreſeon hunc ne dira uenena necent.
Eloquiumq; Dei doceas, Sanctis & OTHONIS
Iuſſis Eximij Præſulis obſequere.
Nam ſacra Relligio, cui uoto ſubderis, ipſa
Te parêre, Dei & uerba docere iubet.
Ergo Dilingæ ſummum Sophiæ accipe primus,
Principe Magnifico præcipiente, gradum.
Hinc alij ſument aliquando, Eccleſia fructus
Vt capiat, titulum te præeunte parem.
Certa tui carpent ſtudij ueſtigia plures,
Quo ualeant alijs ferre ſalutis opem.

ADRIANVS BESEMERVS.

DILINGAE Excudebat Sebaldus Mayer.

85

A. 1540.